

## **Specimen Continens Capvt Ivris Controversvm De Ivre Meliorationis Rei Vsvfrvctvariae Ab Vsvfrvctvario Factae**

Lipsiae: Ex Officina Langenhemia, [1768]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877023905>

Druck Freier  Zugang











K. K. — 1 (49.)












57 N<sup>o</sup> 8

H. Breuningii Dissertationes  
et Programmata.

XLIX.







81.  
81  
/55/

SPECIMEN  
CONTINENS  
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
DE  
IVRE MELIORATIONIS  
REI VSVFRVCTVARIAE  
AB  
VSVFRVCTVARIO FACTAE

QVOD  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR, IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXVII. IVLII ANNO MDCCCCLXVIII.  
PVBLICE DEFENDET  
CHRISTIANVS GOTTLIEB HOFMANNVS  
CHEMNIC. MISNIC.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



SPECIMEN  
CONTINENS  
CARVE IRRIS CONTRORSUM  
DE  
IVRE MELLORATIONIS  
REI VSVFRUCTVARIAE  
AD  
VSVFRUCTVARIAM FACTAM  
ORDINE  
ILLVSTRIS ICTONVM ORDINIS GRATIA  
D. N. A. S. I. D. E.  
D. CHRISTIANO HENR. BREYNING  
PROFESSOR IUR. NAT. ET GEN. IURIS ORDIN.  
ET SOCIETAT. IUR. PRAESIDIO  
IN AVDITORIO PETERINO  
DIE XXVII. IULII. ANNO CIROCCO. LXXIII.  
TITULUS PRINCIPALIS  
CHRISTIANVS GOTTFR. HOFFMANNVS  
ORDINIS IURIS

L I B R A R I A  
EX OFFICINA IURIS NAT. ET GEN.



V I R O  
M A G N I F I C O  
C O N S V L T I S S I M O  
E X C E L L E N T I S S I M O A M P L I S S I M O  
C H R I S T I A N O F R I D E R I C O  
H A V C K  
I V R I V M D O C T O R I  
C I R C V L I M E T A L L I F E R I D E P V T A T O  
E T  
F R E I B E R G E N S I V M C I V I T A T I S  
C O N S V L I H . T . R E G E N T I  
A V V N C V L O A T Q V E P A T R O N O  
S V M M E V E N E R A B I L I

D. D. D.

C H R I S T I A N V S G O T T L I E B H O F M A N N V S .



VIRI  
M. A. G. N. I. S. S. I. M. O.  
C. O. N. S. U. L. T. I. S. S. I. M. O.  
E. X. C. E. L. L. E. N. T. I. S. S. I. M. O. A. M. P. L. I. S. S. I. M. O.  
C. H. R. I. S. T. I. A. N. O. F. R. I. D. E. R. I. C. O.  
H. A. V. C. K.  
I. V. R. I. U. M. D. O. C. T. O. R. I.  
C. I. R. C. U. L. I. M. E. T. A. L. L. I. C. I. D. E. P. U. T. A. T. O.  
T. R. I. B. E. R. E. N. S. I. V. M. C. I. V. I. T. A. T. I. S.  
C. O. N. S. U. L. I. H. T. R. E. G. E. N. T. I.  
A. V. V. I. N. C. E. L. O. A. T. O. V. E. P. A. T. R. O. N. O.  
S. U. M. M. E. V. E. N. E. R. A. D. I. M.  
D. D. D.  
C. H. R. I. S. T. I. A. N. U. S. G. O. T. T. L. I. E. R. H. O. F. M. A. N. N. U. S.



VIR  
MAGNIFICE  
CONSULTISSIME EXCELLENTISSIME  
AMPLISSIME  
PATRONE ATQVE AVVNCVLE  
PIE VENERANDE

**S**i unquam officium, aliquod gratitudinis  
obseruandum ad omnes et primas occasiones  
arripiendi, quo eandem ostendere queamus,  
nos et obligat et impellit, sane ipsemet **VIR**  
**MAGNIFICE CONSULTISSIME** in ea con-  
ditione versor, vt sine nota manifestae ingrati-  
tudinis, occasionem aliquam nactam praetermitte-  
re nequeam. Quanta enim sunt beneficia, quibus me  
per omnem vitam meam et maxime per annos, quibus  
futuræ meae felicitatis fundamenta in Lipsiensi Acade-  
mia



mia posui, per *TE* ornatum auctumque sensi. *Quantus*  
semper fuit amor, quantaque *TVA* sollicitudo, qua  
meam curae habuisti semper felicitatem. *Quidni* me  
obstrictum sentiam publice *TIBI* ostendendi, quan-  
ta gratitudine *TIBI* me deuinctum sentiam. *Quapro-*  
pter accipe hoc animi mei deuoti *TIBI* que deditissimi  
signum, quo primas studiorum meorum Academicorum  
labores *TVO* grauissimo nomini commendo. *Noli* hoc  
leue munusculum iudicare ex operis magnitudine, sed ex  
animi mei sensu. *Sicuti* vero per totam vitam eo alla-  
borabo, vt semper ostendam, quanta sunt, quae *TIBI*  
debeam, quantique *TE* venerer, ita, vt me meaque  
omnia, imo omnem futuram meam felicitatem *TIBI*  
commendatam habere velis precor, qui sum

N O M I N I T V O  
M A G N I F I C O  
C O N S V L T I S S I M O

Lipsiae  
Die xxvii Iulii  
C1919CCLXVIII.

DEDITISSIMVS  
CHRISTIANVS GOTTLIEB HOFMANNVS  
R E S P O N D E N S .





DE  
IVRE MELIORATIONIS  
REI VSVFRVCTVARIAE

AB  
VSVFRVCTVARIO FACTAE.

---

§. I.  
**I**us illud, quo re aliena uti fruique licet salva  
rei substantia, quod *vsufructum* dicimus,  
vix aliter concipitur, quam ut usufructua-  
rius ipsam rem usufructuariam, quo uti fruique possit,  
possidendam accipiat, in quem causam simul cautio usu-  
fructuaria simul concepta, qua opus non esset, si rem  
usufructuariam haud possideret. Exceptio forsitan pe-  
tenda esset, si cautionem usufructuariam praestare non  
posset, quo themate nonnulli suadent, usufructuario pos-  
sessionem rei usufructuariae concedi non debere, sed

A 2

potius



potius proprietario, qui pensionem quotannis usufructuario praestet, saltem ita *GAILIVS L. II. Obseru. 47. inf.* Cum vero possessa illa re usufructuaria ob cautionis praestitae rationem uti fruiue debeat tanquam bonus paterfamilias, varia etiam imposita sunt usufructuario officia omnimodo adimplenda, de quibus quaedam tantum examinabimus.

§. II.

Est vero inter officia usufructuarii, ut onera rei usufructuariae soluat, quod expresse innuit *VLPIANVS* in *L. 7. §. 2. π. de usufruct.* Ait: *quoniam et alia onera agnoscit usufructu legato: utputa stipendium, vel tributum, vel salarium, vel alimenta ab ea re relicta.* Sed quum onera diuidantur in *ordinaria et extraordinaria*, quaeri forsitan posset, vtrum omnia, an tantum ordinaria onera usufructuarius praestet. Sane lex ipsa nihil determinare videtur, et magis ex argumentis pugnandum erit. Probant plerumque legum interpretes, usufructuarium fructus extraordinarios haud percipere allegata probatione ex *L. 7. §. 12. π. solut. matrim.* quod thesaurum haud capiat usufructuarius. Quod si verum est, quid prohibet, quominus ad onera idem concludamus. Sequitur itaque usufructuarium ad onera tantum ordinaria soluenda praestandaque obligatum esse, non aequè ad extraordinaria. Saltem id negari nequit, plerumque commodis onera atque ex oneribus commoda iudicari solere.

§. III.

Aliud officium in eo positum, ut salua substantia utatur fruatur. Inde est quod *PAVLVS* in *L. 18. π. de Vsufr.*  
scri-



scribit: *In locum demortuarum arborum aliae substituendae sunt: et priores ad fructuarium pertinent.* Ita VLPIANVS in L. 68. §. 2. π. de *Vsuf.* Plane si gregis vel armenti sit *vsusfructus legatus*; debet ex agnatis gregem supplere: id est, in locum capitum defunctorum. Et POMPONIVS in L. 69. π. eod. *Vel inutilium alia submittere.* Recte tamen de submittendis capitibus notandum, *vsusfructuarium non semper teneri, sed tunc tantum, si gregis vsusfructum tanquam vniuersitatis, facti scilicet, non iuris, habeat.* Quapropter VLPIANVS in L. 10. §. 3. π. de *Vsuf.* scribit: *Sed quod dicitur debere eum submittere, toties verum est, quoties gregis, vel armenti, vel equitii, id est, vniuersitatis vsusfructus legatus est. Ceterum, si singulorum capitum, nihil supplebit.* Causa est, quod tot diuersae feruitutes *vsusfructus* sint, quot sint singula capita, et vno capite demortuo ipse *vsusfructus* perit, qui interitu rei perit. Coniicio inde diuersitatem in formula constituendi *vsusfructus* obseruatam fuisse diuersi iuris causam. Sic v. g. si testator scripserat: *Singulorum ouium meorum vsusfructum Titio do lego*; videbantur tot diuersi *vsusfructus*, quot oues. Secus, si scripserat: *Vsumfructum gregis ouium Titio do, lego.* Vna erat feruitus, in qua demum id obtinebat, quod supra demonstraui.

#### §. IV.

Hoc officium, quod ad conseruandam saluam rei *vsusfructuarie* substantiam spectat, aliud producit, scilicet rem *vsusfructuariam reficiendi* seu *sartam tectam* conseruandi. Sed in hac ipsa reficiendi obligatione distinguunt ICTi veteres. Aut enim refectio totam concernit rem, aut modica est. Ad mo-

A 3

dicam





dicam obligatum pronunciant usufructuarium. Testis est  
 VLPIANVS in cit. L. §. 2. π. de usufr: At si accuratius ver-  
 ba inspicimus, videntur veteres ne omnem quidem modicam  
 refectionem usufructuario imposuisse, sed eam tantum, vt sar-  
 tam tectam feruaret et quod suo suorumque facto deterius  
 factum est. Prius manifesto adfirmat cit. VLPIANVS, qui  
 scribit: *Haftenus tamen, vt sarta tecta habeat. Si qua tamen*  
*VETVSTATE corruissent, neutrum cogi reficere. Sed si heres*  
*refecerit: passurum usufructuarium vti:* Posterioris POMPO-  
 NIVS in L. 65. π. eod. *Sed cum fructuarius debeat, quod suo*  
*suorumque facto deterius factum sit, reficere.* caet. In vtraque  
 refectione illa, quae modica est, et illarum rerum, quae culpa  
 deteriores factae sunt, adhuc multum interest. Quodsi enim  
 culpa non deteriorata sit res usufructuaria, sed eo modo, quo  
 etiam res vsu diligentis patris familias corrumpuntur, ab hac  
 refectione se liberabit usufructuarius, si paratus sit vsumfru-  
 ctum derelinquere. Ita VLPIANVS in L. 63. π. eod. *Cum*  
*fructuarius paratus est, vsumfructum derelinquere, non est co-*  
*gendus domum reficere, in quibus casibus et usufructuario hoc*  
*onus incumbit. Sed et post acceptum contra eum iudicium parato*  
*fructuario derelinquere vsumfructum, dicendum est, absolui eum*  
*debere a iudice.* Contra vero, si culpa deteriorata sit res vsu-  
 fructuaria vel lata, vel leui, tenetur enim ad diligentis patris  
 familias officium, non liberabitur a refectione, licet paratus sit  
 ad derelinquendam rem usufructuariam. Haec POMPONIVS  
 cit. l. *Sed cum fructuarius debeat, quod suo suorumque facto de-*  
*terius factum sit, reficere: non est absoluendus, licet vsumfru-*  
*ctum derelinquere paratus sit; debet enim omne, quod diligens*  
*pater familias in sua domo facit et ipse facere.* §. V.



## §. V.

Sed an *meliozem* reddere possit rem fructuariam ipsemet usufructuarius, alia quaestio est, Videamus quid leges statuunt primum, dein quomodo inter se cohaereant, explicabimus. Maxime praecipue necesse est *VLPIANVM* cum *VLPIANO* conciliare. Nam in *L. 7. §. 3. et 8. ꝑ. h. t.* cum de refectione prius egisset simulque exposuisset, quousque atque in quantum cogi possit usufructuarius ad refectionem et in quibus reficiendis impediendus non esset, negat demum usufructuarius ius meliorandi. Ipsa verba adscribamus. Ait: *Neratius autem libro quarto membranarum ait: non posse fructuarium prohiberi, quo minus reficiat: quia nec arare prohiberi potest, aut colere, nec solum necessarias refectiones facturum, sed etiam voluptatis causa; ut tectoria et pavimenta et similia facere. Neque autem ampliare, nec utile detrabere posse; quamuis MELIVS repositurus sit, quae sententia vera est.* Sed hic ipse *VLPIANVS* in *L. 13. §. 4. ꝑ. de Vsufr.* contrarium videtur adserere, *Fructuarius causam proprietatis deteriozem facere non debet; MELIOREM facere potest. Et aut fundi est ususfructus legatus: et non debet, neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quicquam facere in perniciem proprietatis. Et si forte voluptate fuit praedium, viridaria vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amoenas habens; non debet deicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad redditum spectat.* Pergit. §. 5. *Inde est quaesitum: an lapidicinas vel cretifodinas vel harenifodinas ipse instituere possit. Et ego puto, etiam ipsum instituere, posse, si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicina-*

r16712



rum et huiusmodi metallorum inquirere poterit. Ergo et auri et argenti et sulphuris, et aeris, et ferri, et caeterorum fodinas; vel quas pater familias instituit, exercere poterit, vel ipse instituere, si nihil agriculturae nocebit. Et si forte in hoc, quod instituit, *PLVS* redditus sit, quam in vineis, vel arbustis, vel oliuetis quae fuerunt: forsitan ei haec deiicere poterit: Siquidem ei permittitur *MELIORARE* proprietatem. Et §. 6. pergit: Si tamen quae instituit usufructuarius aut caelum corrumpant agri, aut magnum apparatus sint desideratura, opificum forte vel legulorum, quae non potest sustinere proprietarius: non videbitur boni viri arbitrato frui. Nihil ad verba legis moneo. Gerh. NOODT de *Vsuf.* L. I. Cap. III. et VI. quidem offenditur verbis: Si forte voluptate fuit, ubi iam HALOANDER legerat: si forte voluptarium. et videtur probare lectionem: si forte voluptare fuit. Putarem si in iis verbis quid mutandum, potius reponendum; Si forte voluptati fuit sc. domino praedium caet. Neque permutatio literarum E et I infrequens est in Archetypo florentino. Sed haec obiter.

§. VI.

Quid ergo faciamus *Vlpiano*, qui sibi constans non videtur. Recte videtur distinxisse NOODT de *Vsuf.* c. l. si sola meliorationis spes est, nihil posse suscipi ab usufructuario, quia posset deterior reddi conditio proprietarii, quo etiam faciunt verba *Vlpiani*: quamvis melius repositurus sit. Contra vero si certitudo adsit meliorationis, titulo meliorationis suscipi ab usufructuario posse, quo faciunt verba *Vlpiani*: et si forte in hoc, quod instituit, plus redditus sit et: haec deiicere poterit. NOODT cit l. quidem verba: Et si forte in hoc, quod instituit, plus



plus reditus sit, quam in vineis, vel arbustis, vel oliuetis, quae fuerunt, forsitan etiam haec deiicere poterit, non Vlpiani esse adfirmat, sed interpretis, et sic glossema reputat. Sed hac conditione non vterer absque autoritate MSti Florentini et contra BASILIC. Lib. XVI. Tit. I. Tom. II. p. 250. Arbitror vtique haec et ab Vlpiano esse, et defendi posse. Verbum enim forte me in eam deducit interpretationem, videlicet, si de facto fundi faciem immutauerit et forte plus reditus inde proueniat, poterit haec deiicere, quod idem est ac faciem fundi immutare, neque conueniri propterea posse a proprietario ob immutatam fundi faciem, quippe tunc vera adest melioratio. Dein non est decisio Vlpiani, sed opinio, cum dicit: *forsitan etiam haec deiicere poterit*, i. e. defendi potest haec opinio ex eo, quod fundi faciem immutando veras praestiterit meliorationes, et sic etiam potuisse immutare.

§. VII.

Dein certum est, respiciendum proprie esse ad ipsius fundi determinationem. Non quidem negari potest, omnes fructus percipere vsufructuarius ex fundo ad modum domini et fundi conditionem. Habet enim vsufructuarius tantum ius vtendo frui fruendoque vti, pro vt est conditio fundi et sic vti vltus fruitusue fuerat dominus. Iam vero patris boni familias est, in tantum meliorare fundum, quo melius fructus habere eoque vti possit, neququam vero immutare faciem fundi. Ea enim mutata amplius non ea est, quae vsufructui obnoxia erat. Praeterea multum interest inter effectum dominii, et effectum vsufructus ceu seruitutis. Dominus enim iure dominii, nisi aliud quid, vtpote lex aliqua aut conuen-



tio, prohibeat, fundi faciem immutare potest, quippe domini effectus est, ut de re sua libere disponat. At vero Vsfu-  
 ctuarius tantum ius habet utendi fruendive re aliena. Non  
 ergo ius habere potest, de re aliena libere disponendi; ergo  
 nec ius fundi faciem immutandi. Salva itaque est regula:  
 Vsfufruitarium quidem obligatum esse ad meliorandam rem  
 vsufruituariam, sed pro ut est natura huius servitutis, salva sua  
 substantia. Non ergo destructa illa rei vsufruituariae sub-  
 stantia poterit meliorare, id vero continget mutata rei vsu-  
 fruituariae facie: nisi si defacto forsitan mutauerit, quo etiam  
 plus reddituum postea vere capiat proprietarius, quo facto  
 mutatio illa proprietario lucro magis est, quam damno.

§. VIII.

Vidimus itaque quantum meliorationum suscipere possit  
 Vsfufruituarius. Sed quid dicamus de impensis in meliora-  
 tionem factis. Monent leges obligatum esse vsufruituarium  
 ad conseruandam rei vsufruituariae substantiam, hinc refe-  
 ctionis modicae impensas ferebat, sed melioratio excedit rei  
 conseruationem vsufruituariae. Quapropter arbitror, di-  
 stinguendum hic esse inter meliorationem rei vsufruituariae  
 fructuum vsusque causa, et eam, quae mutata rei facie fiebat.  
 Hanc cum non suscipere potest vsufruituarius melioratio-  
 nem, de iure, frustra quaerimus, at si de facto, dein videbi-  
 mus. Illam vero meliorationem fructuum vsusque causa  
 permittunt leges et videri posset, cum non obligatum leges  
 vsufruituarium pronuncient, sed ut c. l. *Vlpianus* loquitur, *ei*  
*permittitur*, proprietarium teneri ad restituendas melioratio-  
 nis impensas. Sed vix probari potest, hanc imponi proprie-  
 tario



tario posse obligationem, cum fructuum et usus, sicque sui praecipue causa facit impensas, ut restituat, qui potius de suo impendisse videtur usufructuarius.

§. VIII.

Tandem cum in regula adfirmavimus usufructuarium mutando faciem rei usufructuariae meliorem eam facere non debere; at quid! si id consentiente proprietario fiat, an tunc faciem mutare rei usufructuariae possit? Cum expressae negent leges deteriorem facere causam proprietatis non debere usufructuarium, dubium non est si consentiat proprietarius in immutationem illam, recte eandem tunc suscipere posse usufructuarium, sed non iure ususfructus, magis tanquam proprietarii procurator. Hinc si impensarum in hanc immutationem factarum quaestio oriatur, puto ita distinguere posse, si convenit proprietarius cum usufructuario de mutanda forma rei usufructuariae, vel conuenerunt de impensis, vel nihil inter hos de iis actum est. Hoc casu, cum procuratorem magis agit proprietarii, hunc ad harum impensarum quoque restitutionem teneri, seruata tamen moderatione aliqua, si maiores utilitates fruendo re illa immutata usufructuarius perceperit. Si vero impensarum causa conuentio inita, hac utique standum, et si restitutionem promiserit proprietarius, ad eas restituendas tenebitur, si vero remiserit illa conuentione eas usufructuarius, neganda est ei actio ad eas petendas, et exceptione doli recte submouebitur.

§. X.

At vero, si de facto immutauerit faciem rei usufructuariae impensasque fecerit non consentiente proprietario, an et






tunc repetere possit expensas, vehementer dubito. Quamuis enim meliorando vtiliter impendat, sicque aequitatis ratione habita impensas repetere posse videatur; tamen cum non tantum adsit legis prohibitio, ob quam faciem rei usufructuariae ne meliorando quidem immutare ius habet invito proprietario, sicque contra legis dispositionem impensas facit, sicque comparandus cum malae fidei possessore, cum sciat alienam esse rem usufructuariam, neque nisi quod ad usum fructumue pertinet, impensas facere non debere, malae vero fidei possessor impensas vtilis non repetat, sed tollat si id salva substantia fieri possit, denique vero conditio proprietarii deterior fieri per usufructuarium non debeat; arbitror hac specie impensas in meliorationem factas usufructuarium repetere non posse, sed sui causa cum primario impenderit, ad commoda augenda, censendum esse eundem haec impendia donasse. Neque procedet argumentum a re dotali sumtum. Non quidem nego maritum impensas repetere posse in rem dotalem factas, sed nollem maritum usufructuarium habere, quem *IUSTINIANVS pr. l. quib. alienare licet vel non dominum* vocat. Maritus in suam rem fecisse impensas videtur, cumque tantum temporarium ius dominii habet, quo soluto restituendum, recte etiam impensas repetet, quae de usufructuario affirmari non possunt, qui non in suam rem impendit, sed sciens in alienam, lege adeo eas non comprobante

T A N T V M.











triberet testator filios, testamentum postea rescinde-  
 relata inofficiosi testamenti, sicque intestatus decede-  
 re, vt ergo id euitaretur, remedium inuentum nonnulli  
 si inter viuos bona aliis donarent, quo facto si ni-  
 hil superesset, nihil veniret ad liberos, quibus anti-  
 quum remedium, cum testamentum haud adesset, do-  
 no inter viuos firmatae atque irreuocabiles essent, quo  
 bonis paternis consequi possent liberi. Patet id ex  
*inoffic. donat. ex verbis: Si, vt allegatis, mater ve-*  
*dendam inofficiosi querelam, pene vniuersas faculta-*  
*rum ageret in rebus humanis, factis donationibus siue*  
*liberos, siue in extraneos, exhausit; caet.*


## §. IV.

hanc ergo fraudem infringendam legi factam, quae  
 vim constituit, postea introducta est *querela in-*  
*offic. donat. in fraudem* inoffic. donat. in fraudem suc-  
 cussionis, qua rescindebatur donatio in fraudem suc-  
 cussionis legitima facta. Argumentum huic iuri introdu-  
 ctum est *querela inofficiosi testamenti*. Hinc VALERIA-  
 NUS in *L. 2. C. de inoff. donat.* expresse re-  
 ferunt *similitudinem inofficiosi testamenti querelae auxi-*  
*lium impertiet*. Porro Imp. DIOCLETIA-  
 NUS in *L. 4. C. eod.* hocce remedium ad-  
 dicitur ad *auxilium ad instar inoffi-*  
*cosi*. Amplius eidem in *L. 6. C. eod.* rescribunt: *De*  
*inoffic. donat. ad exemplum inofficiosi testamenti praeses*  
*iusdictionis suae partes exhibebit.*

## §. V.

restituatur ergo ab iis, qui in legitima immodica dona-  
 tione mortuo parente donatore, facta donatio inter  
 viuos.

A 3



the scale towards document

011

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011